UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda Ecclesiae Paderbornensis

Dietrich <Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1602

Ordo in Coena Domini.

urn:nbn:de:gbv:23-drucke/s-483a-2f-helmst3

Visual Library

IN COENA DOMINI.

TAmetſi ea quæ hodie & cras in Eccleſijs peraguntur, propriè ad hunc AGENDAE librum non ſpectant: tamen ad rituum vniformitatem conciliandam, neceſſarium viſum fuit aliqua pro Parochis annotare.

I.

Hora congruenti pulſentur campanæ ad officium diuinum, & deinceps non ſonent amplius vſq; ad Miſſam in Sabbatho: ſed crepitaculis ligneis interea vtendum erit.

II.

Hodiè officium celebretur ſecundum Miſſale huius Diœceſis, ſi eius ſit copia, ſin minus; Moguntinum ſeruetur, vel aliud, donec proprium diœceſanum edatur.

III.

Duæ quoque hoſtiæ conſecrandæ ſunt, vt vna ſumatur, altera reponatur; quemadmodum etiam minores, pro ijs qui hodie & in ſabbatho ad ſacram communionem venturi ſunt. Qua in re parochus ductum rationis pro numero perſonarum & loci conditione ſequetur.

IIII.

Peracto diuino officio & lectis vel cantatis de more veſperis denudentur altaria vſq; in Sabbathum, & Parochus aſpergillo tenui vel quouis alio herbarum aut virgultorum faſciculo planitiem eorum hinc inde lauet aqua primum, deinde vino fricet thureq; adoleat, recitando de memoria aliquem Pſalmum pœnitentialem.